



Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

VI. Decreto reditu occisus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

profecto sortem tuam, si putas aliud iudices debere respicere, quam quod nolis. ¹Hanc crucem patere, si gravis est: hunc diem, si odisti, vide. Nihil illi adversus patrem ²liceret, etsi parricida non esset.

V.

Leno.

Juvenes frequenter ad lupanar veniebant; cum his leno frequenter denuntiasset, ne accederent, foveam fecit, & complevit ignibus. adolescentes cum venissent, exusti sunt. accusatur à parentibus eorum leno læsæ reip.

CONTRA LENONEM.

Denuntiavi, inquit. dii boni! ³quantum ausus est, quod ne post denuntiationem quidem creditum est. Fuit in illis summa pietas; placuere parentibus: summa frugalitas; displicuere lenoni. Tu te jure audes defendere? nihil ei licet, in quem nihil non licet. Denuntiavi, inquit. novimus lenonum venales minas. Injuriam, inquit, faciebant mancipiis meis. Quid enim aliud in his, quam injuriam vendis?

PARS ALTERA.

Ubi, quid futurum est denuntiatum, culpa ⁴patientis est.

VI.

Decreto de reditu occisus.

Adolescens dives nobilis, hospitatus apud exulem. exul scripsit Senatus velle se indicare de affectata tyrannide. Senatus revocandum censuit, hoc divite contradicente, dum revertitur exul, occisus est. accusatur dives affectatæ tyrannidis.

CONTRA DIVITEM.

Intercepisse te putas indicium: ipse fecisti. Secundum sententiam divitis, pauper non est reversus: dicturum se de

¹ Hanc crucem.] Forte: Hanc lucem. Gron.

² Liceret, si p. n. e. Pith.

³ Quantum ausus est.] Lege: Quanti

ausus est. Hoc est, quantum ausos dicis, qui tuæ scilicet denuntiationi non crederunt. Gron.

⁴ Patientis.] Vet. parentis. Pith.

se de tyrannide pollicetur, quid, vis, ¹ suspicemur? tu nihil nuntias, ² sed inde venisti: venerunt epistolæ consecutæ. Sed cur de publico statu mandare hospiti noluit? Putatis illum contradixisse? Confessus est. Sceleratis ingeniis, & plusquam civilia cupientibus, non dominari instar servitutis est. Jampridem te ³arci nostræ tua fortuna minatur: supra civilem hanc ⁴ æquationem divitiæ te elevarunt: non sine exemplo timemus. In Manlio quondam potuisse, damnatum est.

P A R S A L T E R A.

Non intelligo, quemadmodum ⁵ infamet mors sententiam meam. Ego si auditus essem, ille non esset occisus. Inquieta res est homo, cui jam in deterius nihil superest. ⁶ Egerat mecum illic multa de iudicibus, de ignominia sua. Prodam necesse est affectus hospitis mei: hoc tyranni videbatur.

V I I.

Dives imperator.

Pauper & dives inimici. pauperi duo filii. dives imperator creatus. Rumor ortus est prodi rempublicam à pauperis filiis. utrunque torquens pernegantem necavit, corpora eorum extra vallum projici jussit, quæ hostes sepelierunt, & recesserunt. Pauper accusat divitem cædis.

C O N T R A D I V I T E M.

NUnquam, iudices, contra istum tutior veni. quicquid auferri potuit, amisi. Soli omnium torti sunt, donec mentirentur. Ita laniatos miseros, ita confusis lineamentis projici jussit, ut jam nec pater posset agnoscere. Miramini, si ab hostibus sepulti sunt? nullos sic ab isto esse tortos, ⁷ nisi captivos putarent. Proditores putas, quos
tam

¹ *Suspiciemur.*] Vet. *pollicemur.* Idem.
² *Sed inde venisti: venerunt epistolæ.*] Scribe: Tu nihil nuntias: sed, unde venisti, venerunt epistolæ te consecutæ. Gronovius.

³ *Arci nostræ.*] Vet. *archonta.* Pith.
⁴ *Æquationem.*] Al. *peræquationem.* dem.

⁵ *Infamet mors.*] Al. *infament ista.* Id.
⁶ *Egerat mecum illic multa.*] Lege, ille. Gron.

⁷ *Nisi captivos putarent.*] Scribe: Nullos sic ab isto esse tortos, nisi captivos, putarunt. Nempe hostes. Reddit rationem quare ab illis sepulti sint. nempe suos putarunt. Idem.